



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Avli Persii Flacci Satyrae Sex

Persius Flaccus, Aulus

Basileae, 1582

VD16 P 1629

A. Persii Flacci Satyra Qvarta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34803

nequaquam audiendos esse censeo : sed illis neglectis philosophos colendos : & excusso veterno literas discendas : tum omnib. prauis libidinibus, & animi cupiditatibus reiectis, virtutem exercendam, sine qua benè beatequè viuere non possimus.

A. PERSII FLACCI
SATYRA QVARTA.

R Em populi tractas? barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.
Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli,
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda, tacendaq; calles.
Ergò ubi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calida fecisse silentia turba
Maiestate manus: quid deinde loquere? Quirites
Hoc puto non iustum est, illud male, rectius istud.
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libra: rectum discernis, ubi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis? Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, & assiduo curata cuticula sole.
Expecta, haud aliud respondeat hæc anus: I nunc
Dinomaches ego sum: suffla. sum candidus: esto,
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cum bene discincto cantauerit ocyma verne.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo,


Quæsi-

n
n
n

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

NICOLAUS BRISCHLINI

[Faint text, likely bleed-through from the reverse side]



*Quaeris : noslin' Vectidi pradia ? cuius ?
 Dives arat Curibus , quantum non miluus oberret.
 Hunc ais ? hunc , Dys iratis , genioq; sinistro,
 Qui quandoq; iugum pertusa ad compita figit :
 Seriole veteris metuens deradere limum
 Ingemit , hoc bene sit : tunicatum cum sale mordens
 Cepe, & farratam pueris plaudentibus ollam,
 Pannosam facem morientis sorbet aceti.
 At si vnctus cesses , & figas in cute solem,
 Est prope te ignotus cubito qui tangat , & acre
 Despuat in mores , penemq; , arcanaq; lumbi
 Runcantem , populo marcentes pandere vulvas.
 Tu cum maxillis balanatum gausape peetas
 Inguinibus quare detonsus gurgulio extat ?
 Quing; palaestra licet hac plantaria vellant,
 Elixasq; nates labefaent forcipe adunca :
 Non tamen ista filix villo mansuescit aratro.
 Cadimus, inq; vicem praebemus crura sagittis,
 Viuitur hoc pacto , sic nouimus : ilia subter
 Cecum vulnus habes , sed lato baltheus auro
 Protegit : ut mauius , da verba , & decipe nervos
 Si potes . egregium cum me vicinia dicat,
 Non credam ? viso si palles improbe nummo ,
 Si facis in penem quicquid tibi venit amarum,
 Si puteal multa cautus vibice flagellas,
 Ne quicquam populo bibulas donaueris aures.
 * Respice quod non es , tollat sua munera cerdo :
 Tecum habita , & noris quam sit tibi curta supellex.*

* alias
Respue.

NICODEMI FRISCHLINI IN
 Satyram Quartam Paraphrasis.

SI Socrates, Atheniensis philosophus, qui malorum inuidia cicutam bibere, & mortem oppetere iam olim co-

H